



Disputatio medica inauguralis de lethargo : quam ... publicè sine praeside defendet Henricus à Zuylen.

<https://hdl.handle.net/1874/341245>

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
LETHARGO.

Q V A M

DIVINI NUMINIS AUSPICIO,

Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris

D. PAULI VOET,

Lib. Art. Mag. & U. J. D. Philosophiae
Professoris Ordinarii.

UT ET

*Amplissimi Senatus Academici consensu, & celeberrimae
facultatis Medicæ decreto,*

Pro summo gradu & privilegiis in Medicinâ consequendis,

Publicè sine praeside defendet

HENRICUS à ZUYLEN, Ultraject.

Ad diem 30. Martij, horis locoque solitis.



TRAJECTI AD RHENUM,
TYPIS *Gisberti à Zijl, & Theodori ab Ackerfeldjck,*
clō. lō. c. LII.

Viro Honestissimo

D. JOANNI à ZUYLEN,
Commendatori in Oudewater,
Patrno meo.

NEC NON

Viris Magnificentiss: & Ampliss:

D. D. ARNOLDO à CU-
LEMBURCH, Eccles: S. Jo-
annis Canonico & inter Illust:
& Præpot: D. D. Ordin: Ultraj:
Deputato Ordinario, Cognato
meo.

Tutoribus meis
plurimum colendis,
venerandis.

D. D. THEODORO VANDER LEE,
Urbis Delphenfis Senatori & Scabino, & Ma-
gnæ Piscaturæ Marinae quæstori dignissimo, Pa-
trui loco colendo, venerando.

*Hoc exercitium Medicum in grati animi
signum,*

Offero & Inscrivo

HENRICUS à ZUYLEN,

Auth. & Respond.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,

DE

LETHARGO.

THESIS I.



X præcipuis, qui hominis caput. infestant morbis, non minimus est Lethargus, veterenus apud Latinos dictus.

II.

Ut hunc morbum rectè pertractemus, ipsam definitionem præponemus (omissa nominis etymologia) quæ sic se habet: Lethargus est intemperies capitis, & interdum etiam reliqui corporis, pituitosa, & putrescens, febrem lentam, & gravem soporem, ac reliquarum principum facultatum læsionem inducens.

III.

Signa pathognomonica sunt, sopor profundus, mentis stupor, celer oblivio, febris lenta. Assidentia extraparoxyssimum sunt: rara & imbecilla respiratio, oscitatio crebra, facies turgida ac pallida, liquidæ ex alvo dejectiones; urina turbida, aliquando clara, sudor multus, lingua alba & mollis.

IV.

Causa procatarctica hujus morbi sunt, aër crassus, frigidus & humidus, cibi frigidi & hmididi, ingluvies, ebrietas, vita otiosa, excrementorum^u pituitosorum impedita

evacuatio, remperamentum pituitosum. Hinc magna in-
vasis pituitosorum humorum copia collecta, anteceden-
tem causam constituit.

V.

Isti humores partim ad cerebrum copiosiores delati, id-
que frigida intemperie afficientes, idemque gravitate pre-
mentes: partim in vasis putrescentes, & in corde accensi,
indeque per totum corpus & simul etiam per arterias ca-
rotidas ad caput impulsæ, continentem soporis & febris
causam constituunt.

VI.

Cum enim per arterias carotidas putridi illi humores in
corde accensi ad plexum choroidem perveniunt, mini-
masq; ejus arteriolas ob cruditatem & frigiditatem angu-
stiores reddentes, & magis à frigida intemperie cerebri in-
crassati, fit ut transitus eorum adhuc sit tardior. Hinc pau-
ciores generantur spiritus animales, eorumq; transitus tar-
dior fit, ob defectum spirituum vitalium, ex quibus con-
stant. Quæ paucitas spirituum non sufficiens est ad cere-
brum ab humoribus gravatum attollendum, & ad conti-
nua munia sensuum externorum faciendum: hinc oritur
quies & sopor.

VII.

Oritur etiam per sympathiam, cum humores putrescen-
tes in febribus tertianis & quartanis intermittentibus pel-
luntur ad cerebrum, ibique talem cerebri gravitatem & ob-
structionem pariunt. Vel per commutationem, cum phre-
nitis mutatur in lethargum, fit, quia nimia medicamen-
ta stupefacientia & narcotica capiti adhibentur.

VIII.

Febris oritur, quia in venis putrescit ille humor, idemq;
tum delatus ad cor, & inæquales partes habens, novam in-
cendii

cendii causam suppeditat, illeque per totum corpus per arterias diffunditur. Quod febris magis sub vespere ingravescat, fit quia materia morbifica in cerebro existens, sub id tempus, propter peculiare suum temperamentum, tam matura evadit, ut in venas per rarefactionem sese effundens ad cor deferatur, ibique calorem cordis, & deinde totius corporis augeat.

I X.

Atque his signis facile ab aliis morbis capitis lethargus distinguitur. A *Caro* distinguitur febris: ab Apoplexia, quod hæc subito invadat sine febris & cum difficili respiratione, ac omnis sensus abolitione: A Comate somnolento, quod semper illi febris non adest: à Comate vigili, quod in hoc propensio in somnum quidem adest, æger tamen non dormit, quod in lethargo non accidit. A Catalepsi, quod lethargici oculos habeant clausos & jaceant: ab Hysterica passione, quod lethargici excitati respondent, & febris adest.

X.

Periculosum hoc malum est: 1. quia nobile viscus graviter laborat: 2. quia cerebrum potest sphacelo corripitur: 3. quia adest febris continua.

XI.

Nulla sanationis spes affulget: si vires indies prosternantur: si in sphacelum transeat: si sudor frigidus in capite augetur. Dubia spes est: si juveni æstivo tempore accidat; si urinæ claræ & tenues reddantur: si phrenitis subsequatur. Magna, spes est: si septimus dies superetur: si actiones animales non valde lædantur.

XII.

Ob periculum in mora, quam citissime curatio instituenda est. In curatione materia pituitosa in toto corpore redundans evacuanda, eaque à capite revellenda, & ad partes inferiores derivanda est: cerebri intemperies frigida tollenda, caput corroborandum, atque in eo contenta materia educenda.

XIII.

Talis primo injiciatur clyster, si liquidæ dejectiones non adsint:

R̄. herb. malvæ, altheæ, mercurialis,

centaur. min., betonicæ,

majoran. an. m. j.

fl. chamom. m. s.

coq. in s. q. aq.

col. R̄. vnc. x. & adde

el. hieræ pic., diaphan. an. vnc. j.

ol. rutacei vnc. j. s.

salis dragm. j. Misce, Fiat Clyster.

XIV.

Post immissum clysterem venæsectio instituenda est, si vires sufficiant, si in principio morbi sit: Si deficient, ejus loco possunt adhiberi cucurbitulæ scarificatæ dorso, scapulis, cervici: si instituta sit venæsectio, adhibeantur sine scarificatione.

XV.

Ad excitandum ægrum (quod omni modo studendum est) conveniunt clamores, proprii nominis vocatio, vellitationes pilorum, asperæ frictiones, ligaturæ dolorificæ in cruribus, quæ sæpe repetendæ sunt, tam ad excitandum ægrum, quam ad materiam revellendam.

XVI.

Deinde, excitato ægro, detur talis haustus:

R̄. fol. sennæ dragm. ij. Agarici, Zalapp. an. scrup. j. s.

sem. anis. Zinsib. an. scrup. j.

coq. in s. q. aq. hordei: col. adde

elect. hieræ pic. dragm. ij.

Misce, Fiat Haustus.

Expurgato corpore exhibeatur tale apozema.

R̄ rad.

R̄. rad. calam arom., helenii,
petrosel. vnc. f.
herb. betonica, majorana,
Rorismar., carduibened.,
Centaur. min., hyssop. an. m. j.
fl. stachados m. f.
sem. anisi dragm. j.
cort. citri, arantior. an. vnc. f.
coq. in s. q. aq. ad lib. j. f.
pro, apozemate.

Potest etiam decoctum Guajaci
Cum herbis cephalicis exhiberi.

Tale etiam exhibeatur conditum.

R̄. sp. diagalanga, diambra, arom. rosat. an. scrup. ij.
conserv. st. betonica, salvia, anthos an. vnc. f.
syr. stachados q. f. Misce, Fiat, conditum.

Talis etiam detur pulvis:

R̄. sp. dianthos, arom. rosat. an. scrup. ij.
Castor. scrup. j.
Misce, Fiat pulvis, dividendus in 3. doses.

Qui exhibeatur cum tali aquarum mixtura:

R̄. aq. langii, vitæ matthioli,
Lilii convallium,
syr. de stæchade an. vnc. j.
Misce.

XVII.

Post usum horum medicamentorum, rursus expurge-
tur corpus præcedenti haustu, vel si eger ab illo abhor-
reat, exhibeatur pill. coch. vel pulveris diaturb. dragm. j.

XVIII.

Expurgato sic corpore, caput corroborandum est, & in-
temperies ejus frigida corrigenda, materia quæ in eo con-
tenta

tenta evacuanda : quę fiet vel fomentatione ex hyssopo,
roremarino, fl. Chamomill: betonica, majorana, &c. vel
cum tali linimento:

R̄. p. castorei scrup. j.
ung. martiati. dragm. ij.
ol. succini, majoran. an. scrup. ij.
Misceantur pro linimento.

Talis etiam cucupha imponatur capiti :

R̄. herb. majoran, beton., salv. an. dragm. j.
fl. calend., melil. an. scrup. ij.
charyophill., castor. an. scrup. j.
Misce, Fiat pulvis grossus pro Cucupha.

XIX.

Ad materiam evacuandam e capite convenit tale ster-
nutatorium:

R̄. rad. helleb. albi scrup. j.
pyrethri. fol. majoran. an. scrup. s.
piperis nigri gr. v.
castorei gr. iij.
Misce pro sternutatorio.

XX.

Possunt etiam adhiberi cauteria brachiis & cervici, &
fonticuli iis ibi excitati.

XXI.

Diętam observare hic maxime convenit. Aęr sit purus
& mo-

& moderatè calidus : cibi sint pauci, facilis digestionis, calidi, cum betonica, roremar : hyssopo, majorana, conditi, aliisque quæ humorem pituitosum attenuandi & caput corroborandi vim habent : abstineat ab omnibus pituitosum humorem in corpore generantibus. Potus sit aqua hordei cum hyssopo, majorana &c. cocta & cum hydro-melite dulcorata. A continuo somno eger omni modo arceatur & sepius excitetur : evacuationes, si sponte non succedant arte proritentur, cumque sit obliuiofus, sepe ad alui & urine excretionem adhortandus.

COROLLARIA.

I.

Pulpa cassie non benè additur clysteribus.

II.

Vis formatrix fetus in utero, nihil aliud est quam motus spirituum, partes seminis agitant.

III.

Fetus in utero etiam ore nutritur.

IV.

Ex urina morbi latentes possunt cognosci.

V. Febres

V.

*Febres intermittentes minus periculosa sunt,
quam continua.*

VI.

In diabete semper potus mutatus exernitur.

VII

*Arteriotomia convenit in capitis dolore exple-
thora orto.*

I.

II.

III.

IV.

V. Febres